Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31245
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

ipa ueritate· ipo ordine· et si non dum ipa puritatis maiestate· uel eternitatis securitate· res ipa omnium sacramentorum fidei nostre assidue celebratur. Ideo sic dictum est alienum qui non est filius aci a se peciit quasi abortiuum· a se euomit tamquam inutilem ac negrum cibum· nec diu talem potest pati potest in uisceribus suis officina pietatis· Venit quia pes superbie et aspernatur eum manus peccatoris et mouet eum et expulsus non potest stare· sed fugit miser nudus et tremebundus sic cayn a facie domini expositus uenis et demonibus· ut quicumque prior inuenerit eum morte afficiat eum et occidat· Vel si aliquamdiu durauit in ea non utitur constantia sed pertinaci miseria· sic et cella est quasi carcer aut sic uiuenti sepultura· Pestilente uero flagellato sapiens sapientior erit· et lauit abit iustus manus suas in sanguine peccatoris. Sic ergo dicit propheta— Si iuueneris isti conuertere· hec est perfecte conuersionis culmen apprehende· Nulli enim in eodem statu diu esse conceditur. Sed uel aut semper proficiendum aut deficiendum est· aut sursum nititur· aut in inferiora urgetur. Ab omnibus autem uobis perfectio exigitur· licet uniuersi non sumus. Sed si incipis incipe perfecte· si iam perfectus es· et hoc ipsum perfecte age. Si iam perfectionis aliquid attigisti· te ipsum in temetipso metire· et dic cum apostolo· Non quod iam apprehenderim aut perfectus sim. Sequar autem si forte comprehendam in quo et comprehensus sum. Unum autem que quidem retro sunt obliuiscens· ad ea quae sunt priora extendens me ipsum· ad destinatum persequor brauium superne uocationis in christo ihesu· Deinde addit· Quotquot ergo perfecti sumus hoc sapiamus. In quo manifeste apostolo dicente declaratur· quod perfecta eorum que retro sunt obliuio· et perfecta in anteriora extensio· ipsius hominis iusti in hac uita est perfectio· et perfectio huius perfectionis ibi erit· ubi erit brauium superne uocationis perfecta apprehensio· Hoc autem tamen sic stella a stella differt in claritate· sic cella a cella in conuersatione incipientium· sed proficientium· et perfectorum. De statu incipientium.

Incipientium status potest dici animalis· proficientium racionalis· perfectorum spiritualis· Ignoscendum est aliquando in aliquibus eis qui adhuc sunt animales in quibus ignosci non debet eis qui iam habentur quasi rationales· Rursum rationalibus in quibusdam ignoscitur· in quibus non ignoscitur spiritualibus· quorum perfecta debent esse omnia· et imitatione et laude potius quam in reprehensione digna· Et cum ex hiis tribus hominum generibus constet omnis status religionis· que sic propriis nominibus distinguntur· sic et dinoscuntur ex suorum proprietate studiorum. Debent enim omnes filii dei in die diligenter perspicere quid de sit sibi· unde uenerint· quo usque peruenerint· et in quo proficiendi statu singulis diebus uel horis sua se estimatio deprehendat. Sunt etenim animales· qui per se rationales aguntur· non trahuntur affectu· et tamen auctoritate permoti uel doctrina commoti· uel exemplo prouocati· approbant bonum ubi inueniunt· et quasi ceci ad manum tracti secuntur hoc est imitantur· Sunt rationales qui per rationis iudicium et naturalis scientie discretione habent et

nota De triplici gradu quo peruenitur ad perfectionem